# APPELLATIO

QVA

# REVERENDI PATRES, THOMAS PRESTONVS, & THOMAS GREENÆVS

Angli Benedictini, ac Sacræ Theologiæ Professores, ab Ill.mis Dominis Cardinalibus ad Indicem deputatis ad Romanum, Summumq; Pontificem immediatè provocarunt.

(Cardinalibus) (Pontificem)
Nemo potest me (illis) donare, (Cæsarem) appello.
ACT. 25.

---

AUGUSTÆ,
Apud BAPTISTAM FABRVM.
1620.
Permissu Superiorum.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

# AD LECTOREM.

SCias (*Lector benevole*) nos iſtis rationib⁹ motos infraſcriptam hanc noſtram *Appellationem* typis, quamprimùm commodè potuimus, excudendam curaſſe. *Primò*, vt citiùs, & ſecuriùs perveniat ad notitiam *Suæ Sanctitatis*, quam perſonaliter adire, cùm in cuſtodia detenti ſimus, non poſſumus, neque *Procuratorem* ad *Curiam Romanam* mittendi nobis facultas competit, cum ad victum, & veſtitum vix nobiſmetipſis, & multò minus *Procuratori* neceſſaria habeamus; atque inſuper tanta eſt *Card. Bellarmini*, eiuſque ſequacium

in *Curiâ Romanâ* potentia, vt vix quiſquam Catholicus, vir prudens, & eruditus inveniri poſsit, qui noſtræ cauſæ patrocinium in ea *Curia* ſuſcipere, & *Card. Bellarmino* ſeſe opponere, illique in faciem reſiſtere audeat: nemo autem ad impoſſibile tenetur. *Secundò*, quia non alia via commoda, & ſecura, quàm per ſcripta publica, ob rationes iam dictas, hanc *Appellationem* proſequi, & *Suæ Sanctitati*, ad quam appellamus, rationes, & merita noſtræ cauſæ proponere, eaque, quæ contra nos obijcientur, refellere valemus. *Tertiò*, vt fratribus noſtris Catholicis, quantum in nobis eſt, ſatisfaciamus, qui audientes, nos etiam ab *Ill^mis Dominis Cardinalibus* ad *Indicem* deputatis ad *Summum* Pontificem immediatè appellaſſe, neque oppreſsiones noſtras, & rationes, ob quas ab illis ad *Suam Sanctitatem* provocamus, perſentientes, fortè ſcandalum inde accipiant, nobiſque calumniam ea de cauſa imponant. *Quartò*, vt *Sanctitas Sua*, poſtquam perſpexerit, nos, innocentiæ noſtræ confiſos, intolerandas

intolerandas oppreſsiones, calumnias, & gravamina, quæ per ſummam iniuriam patimur, toti mundo propalaſſe, cauſam noſtram, abſque vlla perſonarum acceptione, quàm diligentiſſimè examinet, atque (vt toti mundo, qualiter cauſam noſtram terminare velit, nunc expectanti ſatiſfaciat) pro munere, quo fungitur, Paſtorali, vel nos quamprimùm liberet à calumnijs, & oppreſſionibus, quas iniuſtè patimur, atque declaret nos innocentes eſſe, minimè verò *hæreticos, Pſeudo-Catholicos, Eccleſiæ Catholicæ-Romanæ* non *filios, ſed hoſtes etiam iuratos, Sediq; Apoſtolicæ rebelles*, provt à *Card. Bellarmino*, non ſolùm priuatim apud *Suam Sanctitatem*, ſed ſcriptis etiam publicis, totique mundo cognitis, iniquè, & per calumniam traducimur; Vel, ſi *Sanctitas Sua* nos de crimine aliquo, (cuius adhuc conſcij non ſumus) poſtquam, de eo ſpeciatim, iuxta iuris naturalis ordinem, accuſati, admoniti, citati, & auditi nos defendere non poterimus, condemnare velit, vt crimen illud,

illud, tum nobis, tum toti mundo innoteſcat, ob quod condemnari mereamur. *Londini*, è *Carcere Clinkenſi*, die vndecimo *Decembris* 1620.

Veſtri in CHRISTO fratres,
& ſervi

*Thomas Preſtonus.*
*Thomas Greenæus.*

BRITISH MUSEUM

# THOMÆ PRESTONI, & THOMÆ GREENÆI BENEDICTINORVM ANGLORVM, ad *Romanum, Summumq; Pontificem immediatè Appellatio.*

1. VNiversis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis D. *Thomas* (alias *Rolandus*) *Prestonus*, Presbyter, Ordinis *S. Benedicti*, Congregationis *Casinensis* Religiosus, ac Sacræ Theologiæ Professor, & Frater *Thomas Greenæus*, Presbyter, Ordinis *S. Benedicti*, Congregationis *Hispanicæ* Religiosus, ac Sacræ Theologiæ Professor, Salutẽ in Domino. Notũ facimus, quòd Nos, *Londini*, in Carcere *Clinkensi* existentes, modo & forma contentis in quodam codicillo manuscripto, cuius tenor inferiùs describitur, & inseritur, ad *Sanctissimum Dominum* nostrum *Papam* immediatè provocavimus, & appellavimus, ac provocamus & appel-

appellamus. * Cuius quidem codicilli manuſcripti tenor ſequitur, & eſt talis.

* Hanc *Appellationis* formã confecimus ad inſtar illi⁹, quâ *Inclyta Vniuerſitas Pariſienſis* Anno Domini 1517. die 27. Martij à *Leone Papa* decimo, & à *Concilio Lateranenſi* vltimo ad *Concilium generale* proximè futurũ appellauit.

2. *In Dei nomine, Amen.* Præmiſſis expreſſè Proteſtationibus, quòd contra *Vnam, Sanctam, Catholicam,* & *Apoſtolicam Eccleſiam,* quam totius Orbis magiſtram, & obtinere principatum credimus, Sanctæque *Sedis Apoſtolicæ* authoritatem, ac *Sanctiſſimi Domini* noſtri *Papæ* bene conſulti, aut *Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium*, qui ab ipſo *Domino Papa* Iudices conſtituti ſunt, bene etiam conſultorum poteſtatem, nihil dicere intendimus, ſi quid ex lubrico linguæ forſan malè dictum ſit, parati emendare. Sed quoniam tum ipſemet *Dominus Papa*, quamvis à Deo poteſtatem immediatè habeat, tum multò magis ipſimet *Domini Cardinales*, quamvis à *Papa* Iudices conſtituti ſint, & ab eo poteſtatem delegatam accipiant, non inde tamen impeccabiles efficiuntur, aut poteſtatem iniquum iudicium iudicandi acceperunt: Idcirco, ſi prædicti *Domini Cardinales* aliquid, quod iniuſtum eſt, decreverint, virosq; innocentes, ex prava informatione, malove conſilio, ſuis mandatis, ac decretis iniquè oppreſſerint, illis parendum non eſt, immo illis reſiſti iure poteſt. Quòd ſi, præ ingenti eorum potentia, illis reſiſti commodè non poſſit, omniaq; ferme reſiſtendi remedia ſublata ſint, vnum tamen iure naturali proditum eſt (quod nullorum potentiâ tolli poteſt) ad *Superiorem*, in quibus *Superior* eſt, *Appellationis* remedium, cùm ſit *quædam defenſio*, [a] & *præſidium innocentiæ*, quæ iure diuino, naturali, & humano cuique competit, quamque nemo, [b] quantumvis potentiſſimus, auferre poteſt.

[a] 2. q. 6. cap. *omnis oppreſſus*, cap. *Placuit*, & cap. *Si quis.*

[b] in Clementina *Paſtoralis*, de ſent. & re iudicata.

Ad

Ad huius ergo *Appellationis* remedium, quo oppreſſi ſublevantur, confugientes Nos, D. *Thomas* (alias *Rolandus*) *Preſtonus*, Presbyter, Ordinis *S. Benedicti*, Congregationis *Caſſinenſis* Religioſus, ac Sacræ Theologię Profeſſor, & Frater *Thomas Greenæus*, Presbyter, Ordinis *S. Benedicti*, Congregationis *Hiſpanicæ* Religioſus, ac Sacræ Theologiæ Profeſſor, nomine noſtro, & *Rogeri Widdringtoni* Catholici Angli, cæterorumq; eius doctrinæ [a] adhærentium, & adhærere volentium, à duobus decretis *Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium* ad *Indicem* deputatorum, nempe anno Domini 1614. die 16. *Martij* contra *Apologiam pro Iure Principum*, & *Diſputationem Theologicam de Iuramento fidelitatis, eorumq; Authorem*, atque etiam die 12. *Novembris* 1616. contra eiuſdem *Rogeri Widdringtoni* ad S. D. *Paulum V. Pontificem Max. humillimam Supplicationem* editis, tanquam manifeſtè iniuſtis, & ab ipſiſmet *Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus* ad *Indicem* deputatis, tanquam parum æquis, ſuſpectis, & malè informatis Iudicibus, & à quacunque ſententia, ſiue definitiva, ſive interlocutoria, aut alio quovis nomine nuncupetur, ab ipſis intuitu prædictæ *Widdringtoni* doctrinæ, aut vllo ad illam reſpectu habito, vel iam lata & denunciata, vel deinceps ferenda & denuncianda, & à quavis alia authoritate etiam *Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus*, aut *Nuncijs Apoſtolicis*, alijsve quibuſcunque delegata, vel deleganda ad *Sanctiſſimum Dominum* noſtrum *Papam*, qui ſupremus totius Eccleſiæ, omniumq; noſtrûm, etiam *Illuſtriſſimorum Cardinalium*, Paſtor, Pater, & in ſpiritualibus Superior eſt, immediatè appellavimus, & provocavimus, & per præſentes ad eum immediatè

[a] *Diximus* [doctrinæ Widdringtoni] *non quaſi ipſe iſtius doctrinæ primus inventor fuerit, quandoquidem, vt ex libris eius conſtat, eam Sancti Patres, antiqui Theologi, ac Iuriſconſulti, & moderni etiam Doctores Catholici, vnâ cum Regno & Statu Franciæ propugnaverint, & propugnent: ſed quoniam Widdringtonus iſtius antiquæ doctrinæ præcipuus hiſce temporibus propugnator eſt, eam idcirco (ſequenti in hoc ipſum Aduerſariorũ phraſin) Widdringtoni doctrinam vocitamus.*

diatè appellamus,& provocamus,ob rationes,& gravamina, quæ ex narratione initij & progreſſus huius controverſiæ perſpicuè innoteſcent.

3. Notum inprimis eſt, *Rogerum Widdringtonum* Catholicum Anglum, multis iam abhinc annis, ad impia *Coniurationis pulverariæ* principia refellenda, *duos* præ cæteris libros, adverſùs *Card. Bellarminum* potiſſimùm conſcriptos, in lucem edidiſſe: *Primum*, anno Domini 1611. impreſſum, in quo ex *Card. Bellarmini* principijs probare contendit, non eſſe *rem certam, & de fide* (vti *Card. Bellarminus* prætendebat) quòd penes *Romanum Pontificem* ſit poteſtas *Principes ſupremos* (qui, iuxta vnanimem *Sanctorum Patrum*[d] doctrinam, ſolo Deo in rebus temporalibus minores ſunt) deponendi, ſuiſq; Dominijs temporalibus privandi: Ob quam cauſam liber ille, *Apologia Card. Bellarmini pro Iure Principum adverſùs ſuas ipſius rationes* &c. à *Widdringtono* nuncupatur, non quòd ipſemet *Card. Bellarminus* illam *Apologiam* compoſuerit, vti perſonatus *Schulckenius* calumniatur, cùm ipſe *Widdringtonus* ſeipſum, & non *Card. Bellarminum* illius *Apologiæ* Authorem eſſe expreſſè affirmaverit, ſed quoniam *Widdringtonus Apologiam* illã ex principijs *Bellarmini* confecit, idcirco *Apologiam* Card. *Bellarmini*, ſeu ex principijs *Bellarmini* confectam, meritò nuncupavit. *Alterum*, anno Domini 1613. impreſſum, cui titulus eſt, *Diſputatio Theologica de Iuramento fidelitatis Sanctiſſimo Patri Paulo Papæ V. dedicata*, in quo libro *Widdringtonus* per modum ſupplicis libelli, & ad *Suam Sanctitatem* plenius informandam, rationes proponit, ob quas Catholici Angli ſibi firmiter perſuadent, illud fidelitatis Iuramentum (ex occaſione

[d] *Hos Patres citat* Widdringtonus *in* detect. calum. §. 17. *nu.* 14.

casione *Coniurationis pulverariæ*, & ad distinguendos subditos fideles, præsertim *Catholicos-Romanos* à perfidis proditoribus, quiq; pulveris tormentarij *Coniuratorum* (qui omnes *Catholici-Romani* erant) disciplinæ adhæresc unt, in generalibus Regni Comitijs lege publica stabilitum, & per *Brevia Apostolica*, ex falsis præsertim *Card. Bellarmini*, eiusq; sequacium informationibus prohibitum, tanquam *multa continens, quæ fidei & saluti apertè adversantur*) posse ab illis, non obstantibus prædictis *Brevibus*, licitè, & tutâ conscientiâ præstari. Atq; omnia argumenta, quæ in contrarium obijci solent, idem *Widdringtonus* clarissimè dissolvit, & speciatim ad *Brevia Apostolica* Iuramentum prohibentia copiosè respondet, & perspicuè commonstrat, ea in *duabus* falsis suppositionibus fundata esse; quarum *vna* est, quòd potestas Excommunicandi, Censuras Ecclesiasticas infligendi, ligandi & solvendi, & consequenter spiritualis *Papæ* Primatus, in Iuramento apertè abnegetur, quod apertissimè falsum esse *Widdringtonus* contra *Card. Bellarminum* (qui scriptis publicis illam falsitatem Catholicis obtrudere conatus est) ex publica, & expressa *Regis* nostri *Serenissimi* declaratione manifestè convincit: *Altera*, quòd potestas *Papalis* Principes in temporalibus *supremos* deponendi sit res de *fide certa*, neq; vlla de ea apud eruditos Catholicos controversia existat, quod etiam non minùs falsum esse, iam vniverso orbi Christiano ex publicis Catholicorum scriptis, factis, & decretis, præsertim *Parliamenti Parisiensis*, evidentissimè constat: Vnde idem *Widdringtonus* ex notissimis Theologiæ principijs euidenter concludit, posse Anglos Catho-

[a] *in suo* Torto *pag.* 9. *& in* Apologia *cap.* 15. *in principio.*

licos tutâ conſcientiâ, & abſque vlla inobedientiæ, * aut irreverentiæ contra *Sedem Apoſtolicam* nota, prædictis *Brevibus*, in eiuſmodi falſis ſuppoſitionibus fundatis, reſiſtere, & repugnare.

4. *Secundò*, dum prædicta *Diſputatio Theologica* ſub prælo eſſet, prodijt in lucem *Card. Bellarmini* ſub *Adolphi Schulckenij* nomine perſonati *Apologia* contra eundem *Widdringtonum* Coloniæ anno 1613 excuſa, quæ Romæ primùm, quoad libri ſubſtantiam impreſſa, ſed ab eodem *Card. Bellarmino*, ob rationes ſibi meliùs notas, nec tamen alijs planè incognitas, ſtatim ſuppreſſa erat; in quo libro perſonatus ille *Schulckenius*, extra omnis modeſtiæ, & charitatis Chriſtianæ limites, tam horrenda crimina *Widdringtono* imponit, illumq; tam inverecundè calumniatur, vt eum, quantumvis Eccleſiæ *Catholicæ Romanæ* ſe filium eſſe ſyncerè profiteatur, ipſo tamen *Luthero, Calvino*, aut alio quovis perditiſſimo, & in reprobum ſenſum dato homuncione deteriorem faciat, illumque, præter manifeſtæ hæreſeos crimen, quod illi falſiſſimè obijcit, etiam impijſſimis *Chriſti Domini, Apoſtolorum, omniumq; Chriſti Martyrum perſequutoribus*, & *Eccleſiæ Romanæ, Sedisq; Apoſtolicæ hoſtibus iuratis* æquiparare non perhorreſcat.

5. Ecquis vir Catholicus, famæ ſuæ, & honoris non omnino prodigus, quique præſertim pro fide Catholica Romana palam agnoſcenda graues ærumnas, quibus alioquin non afficeretur, quotidie ſuſtinet, tam falſas, & horrendas calumnias æquo animo ferre poſſet, aut contra tam egregium calumniatorem, quantæcunque dignitatis fuerit, cœlum & terrã invo-

* *Quando enim Prælatꝰ aliquid præcipit, vnde periculum Religioni, aut Reip. aut tertiæ perſonæ timetur, & ſubditꝰ dubitat, an Prælatus iuſſè præcipiat, nihil facit contra obedientiã ſubditus, ſi exigat à Prælato rationẽ præcepti, propoſitam humiliter* (vti Widdringtonꝰ Suæ Sanctitati ſæpiùs propoſuit) *rationes dubitandi. ita* Dom. Sotus *in lib. de* detegendo ſecreto *membr. 3. q. 2. in Reſponſ. ad 1.*

* *Quòd etiam obligatio præcepti declarativi neceſſariò dependeat à ratione fundamentali, ſeu præcedenti præcepto, quod ſupponit & declarat, docet* Suarez *lib. 3. de* Legibꝰ *cap. 14.* & Leſſius *in* Suo Singletono *de diſcuſſione* decreti *magni Concilij* Lateran. *pag. 45.*

invocandi, & tam ab hominibus, quàm à Deo iuſtitiam poſtulandi finem vnquam faceret?

6. *Tertiò*, hac *Adolphi Schulckenij* ſeu potiùs *Card. Bellarmini Apologia* in lucem edita, & Theologica *Rogeri Widdringtoni* de Iuramento fidelitatis Diſputatione (in qua quaſdam prædicti *Schulckenij* calumnias, quantùm brevitas Admonitionis ad Lectorem permitteret, nam ipſa Diſputatio tunc ſub prælo erat, perſpicuè detexit) iam evulgatâ, & Romam delatâ, publicatum eſt paucis poſt menſibus, nimirum menſe *Martio* anni ſequentis, Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium and Indicem deputatorum (in qua Congregatione ipſemet *Card. Bellarminus*, præcipuus *Widdringtoni* Adverſarius, vel primus, vel vnus ex primis erat, & proinde in ea cauſa nec Iudex, nec Teſtis de iure eſſe poterat) Decretum ſolemne, & Romæ in Typographia Apoſtolica impreſſum, in quo prædicti duo *Rogeri Widdringtoni* libri *penitus damnantur, & prohibentur*, & illorum Authori iniungitur, vt *quamprimùm ſe purget*, alioquin *Cenſuris, & alijs pœnis Eccleſiaſticis omnino coercendus*, nullo tamen prorſus crimine indicato, ob quod libri illi *damnantur, & prohibentur*, uel à quo *illorum Author* ſe *purgare* debet; quaſi uerò poſſet aliquis ab illo crimine ſe purgare, cuius nullum planè ſcrupulum, aut notitiam habet.

7. Quin etiam Illuſtriſſimus Nuncius Apoſtolicus tunc Bruxellis manens literis ſuis ad Reverendū Dominum *Georgium Birkettum* Archipresbyterum datis 26 Novembris 1613 affirmavit, *ſe per* S. Romanæ vniverſalis Inquiſitionis Congregationis *literas de-*

*mandato*

*mandato* Suæ Sanctitatis *edoctum eſſe, quòd* Sanctitas Sua *neque acceptare vellet dedicationem illius Diſputationis* (quæ tamen humillima tantùm ad *Suam Sanctitatem* Supplicatio erat, vt Angli Catholici in fide Catholica, atque in ijs rebus, quas *Sanctitas Sua* in Iuramento fidei & ſaluti apertè adverſari ſuis *Brevibus* declaraverat, à Sua Beatitudine, vtpote ſupremo Eccleſiæ Catholicæ Paſtore, inſtruerentur) neque etiam *Authorem* illius *Diſputationis aut Catholicum eſſe, aut Eccleſiæ filium exiſtimaret*, cùm tamen *Author* ille & *Catholicum*, & *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filium* ſe eſſe in ea *Diſputatione* profiteatur, & omnia ſua ſcripta, atque ſeipſum ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ iudicio quàm humillimè ſubijciat. Talia certè piiſſimus, & ſanctiſſimus Pater, & Paſtor de filijs & ovibus ſuis, niſi ex ſiniſtra Adverſariorum, & præſertim *Card. Bellarmini*, qui in Sacra illa Congregatione vnus ex primis erat, informatione, nequaquam iudicaret.

8. *Quartò*, ſtatim atque Decretum iſtud Sacræ Congregationis ad Authoris notitiam pervenit, ipſe intra pauciſſimos dies, nempe menſe Iunio eiuſdem anni ſeſe purgavit, humillima ad *Suam Sanctitatem* Supplicatione tranſmiſſa, in qua plurimùm conqueritur, tam de prædictis *Illuſtriſsimi Domini Nuncij literis* ad *Archipresbyterum* miſſis, quàm de iniuſto illo, inſolito, & planè inaudito *Illuſtriſsimorum Cardinalium Decreto*, & contra conſuetudinem omnium totius Orbis Tribunalium, quæ nemini præcipiunt, vt ſe purget, alioquin pœnis grauiſſimis caſtigandus, niſi ipſum crimen iudicent, à quo ſe purgare debeat: Atque *Suam Sanctitatem* obnixè rogat, vt *Decretum* illud

illud vel revocandum, & famã *Widdringtoni*, eiuſque doctrinæ adhærentium inde graviter, & iniuſtè læſam reſtituendam curet, vel aliquod ſaltem crimen, ob quod libri Authoris damnati & prohibiti ſint, & à quo ſeſe purgare debeat, illi ſignificari dignaretur, hac etiam proteſtatione ab Authore adhibita, vt *quæ meliùs explicanda ſunt, explicare, quæ corrigenda, corrigere, quæ retractanda, retractare, & quæ purganda, purgare quamprimùm velit*; & *poſtremò* ſeipſum, & quæcunq; ſcripſit, iudicio, & Cenſuræ Catholicæ Eccleſiæ Romanæ humillimè ſubmittit.

9. *Quintò*, Purgatione hac facta, *Widdringtonus*, cæterique Catholici eius doctrinæ adhærentes (quorum hîc in *Anglia* magnus eſt numerus, [f] quicquid Adverſarij *Suæ Sanctitati*, & *Illuſtriſsimis Cardinalibus*, plurimùm illis abutentes, in contrarium falſiſſimè ſuggerant) ſpem magnam conceperunt, *Decretum* illud Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorũ Cardinalium, vel omnino revocandum, vel aliquo modo temperandum, & mitiùs declarandum, vel ſaltem aliquam propoſitionem in prædictis *Widdringtoni* libris contentam, quæ fidei, aut bonis moribus adverſetur, illorum Authori intimandam, vt eam, iuxta quod pollicitus erat, retractare, & ſi opus eſſet, abiurare poſſet; Vel certè *Suam Sanctitatem*, pro paterno illo amore, quo omnes Eccleſiæ filios (eos præſertim, qui in omnibus Eccleſiæ Catholicæ Romanæ iudicio ſe ſubmittunt, & pro fide eius palam agnoſcenda varias calamitates ſuſtinent, à quibus alioquin ſe liberare poſſent) proſequi tenetur, ita grauiſſimam hanc, & ſcandaloſam *controverſiam* compoſituram, ſicut *contro-*

[f] *Id etiam confirmatur teſtimonio* P. Leandri *infrà num.* 18.

*troverſiam* illam inter Patres *Dominicanos*, & *Ieſuitas* de *auxilijs gratiæ*, non minùs paternè, quàm ſapienter compoſuit; Vt ſcilicet Anglis Catholicis, qui *Card. Bellarmini* doctrinæ adhæreſcunt, ſtrictè præciperet, ne *Widdringtonum*, cæteroſq; Catholicos doctrinæ illius adhærentes, quos *Sanctitas Sua* in *Franc i* tolerat, & ad Sacramenta Eccleſiaſtica admittendos, permittit, hîc in *Anglia* tanquam *hæreticos*, *Pſeudo-Catholicos*, *Eccleſiæ Romanæ*, *Sediq; Apoſtolicæ rebelles*, alteriuſve criminis ob eam doctrinam propugnandam reos, iniquè calumnientur, donec *Eccleſia*, quæ *columna*, & *firmamentum veritatis eſt*, hanc litem dirimiret: Vt ita tandem *Widdringtono*, eiuſque doctrinæ adhærentibus de hac controverſia, ad innocentiam ſuam defendendam, vlteriùs conſcribendi omnis occaſio adimeretur. Quamdiu enim tanquam *Pſeudo-Catholici*, *Sediq; Apoſtolicæ*, quam toto corde venerantur, *rebelles*, aut *aliâs criminoſi*, pro veritate & innocentia tuenda, à fratrib' ſuis Catholicis, eiuſdēq; fidei Catholicos domeſticis, (niſi alia ſit fides Catholicain *Anglia*, quàm ſit, & teſte *Petro Pithœo* [g], quem *Poſſeuinus virū valde eruditū*, & *antiquitatis ſedulū perquiſitorē* appellat, ſemper fuerit in *Francia*) per iniuriam traducantur, de hac cōtroverſia cōſcribendi nunquam profectò finem facient, neque ab innocentia ſua vijs licitis propugnanda vllis minis, terroribus, Cenſuris, aut alijs pœnis Eccleſiaſticis, quæ non niſi ob culpam infligi poſſunt, dimovebuntur, quin potiùs ad plures alias difficultates, innocentiæ ſuæ defendendæ gratia, clariùs, quàm adhuc fuerint, dilucidandas, eiuſmodi violentijs incitabuntur.

[g] *Nam in Codice ſuo libertatum Eccleſiæ Gallicanæ auctoritate Senatus Pariſienſis in lucem edito anno 1594. ait, Franciam hoc ſemper pro certo tenuiſſe, quòd Papa non poſſit Regem Franciæ Regno ſuo privare, & quòd ſubditi obedientiā pro temporalibus debitā Regi præſtare teneantur, neque in ea per Papam diſpenſari aut abſolvi poſſint.*

10. *Sextò*,

10. *Sextò*, cùm *Widdringtonus* nihil planè emolumenti, aut intolerandæ ſuæ oppreſſionis levamenti, ex ea *Purgatione* ſibi, cæteriſque Anglis Catholicis eius doctrinæ adhærentibus, provenire perſenſerat, quin potiùs ſuos Adverſarios, *Card. Bellarmini*, eiuſque ſequacium potentiæ confiſos, vehementiùs in eos debacchari, magiſque deinceps, quàm vnquam antea, maledictis inſectari, eoſque fama, honore, amicis, mediiſque ad victum neceſſariis (quantum in illis eſſet) penitus ſpoliare conatos eſſe, aliam *Supplicationem* ad *Suam Sanctitatem* anno Domini 1616 tranſmittendam paravit, atque vt omnibus nota fieret, imprimendam quoque curavit; in qua rurſus vehementer conqueritur de iniuſta ſua oppreſſione (tam per præfatum Sacræ Congregationis Decretum, quàm per prædictas Illuſtriſſimi Domini Nuncii literas, & per alias *Card. Bellarmini*, eiuſque ſequacium calumnias illi facta) Atque *Suam Sanctitatem* ſuppliciter rogat, *primò*, vt vel vnicam Iuramenti Clauſulam, quæ fidei aut ſaluti repugnans ſit, vti in ſuis Brevibus, ex ſiniſtra *Card. Bellarmini*, eiuſve ſequacium informatione, declaraverat, Catholicis Anglis patefacere dignaretur, vt ita & ſuis conſcientiis, & *Regiæ Maieſtati, Sueq; Sanctitati*, quantum in ipſis eſſet, ſatisfacere poſſent: *Secundò*, vt prædictum Sacræ Congregationis Decretum, ex prava quorundam, præſertim *Card. Bellarmini*, ſuggeſtione latum, vel revocaret, vel vnicam ſaltem propoſitionem in libris illius contentam, quæ fidei aut bonis moribus adverſetur, illi indicaret, vt ab ea ſe purgare quamprimùm poſſet. Et *demùm*, vt famæ, exiſtimationi, & innocentiæ ſuæ tam graviter, & per

iniuriam læſç quamprimùm conſulere; neque ſe, ſuæque doctrinæ adhærentes, per effrænata maledicorum ora, tànquam *hæreticos, à fide Apoſtatas, Pſeudo-Catholicos,* & *Eccleſiæ Romanæ, Sediſq; Apoſtolicæ* non *filios,* ſed *hoſtes* vlteriùs, ob hanc doctrinam propugnandam, traduci impune permitteret.

11. Atque, vt *Sanctitas Sua* clarè perſpiceret, ſe à *Card. Bellarmino*, eiuſue ſequacibus malè informatam eſſe, & *Widdringtonum,* eiuſque doctrinæ adhærentes ab ipſis iniuſtiſſimè oppreſſos, idem *Widdringtonus* poſt finem prædictæ Supplicationis, in alio libello ſupplici quaſdam nefandiſſimas calumnias, à *Card. Bellarmino*, ſub *Adolphi Schulckenij* nomine perſonato, illi falſiſſimè impoſitas clariſſimè detexit, eundemq; de manifeſta calumnia in iudicium vocavit, & à *Sua Sanctitate* iuſtitiam contra eum poſtulavit.

12. Sed o rem miram, & nimiùm ſtupendam! Cùm enim iam *Widdringtonus*, poſt tam claram ſui *Purgationem*, poſtque tam *horrendas calumnias*, quas *Card. Bellarminus* illi per ſummam iniuriam impoſuit, tam apertè detectas, perſuaſiſſimum haberet, fieri iam non poſſe, quin vel *Sanctitas Sua,* vel Illuſtriſſimi Cardinales ad particularia deſcenderent, & vel vnicam ſaltem propoſitionem in ſuis libris contentam, quæ fidei, aut bonis moribus adverſetur, illi notam facerent, vti toties à *Sua Sanctitate* ſuppliciter poſtulaverat, aut ſaltem *Card. Bellarminus,* vel ſuo, vel *Schulckenij* nomine, ab illis calumnijs ſe purgare, aut *Widdringtono,* pro tanta iniuria illi illata, vtcunque ſatisfacere vellet, Ecce, Ecce (proh ſtupor) eadem ipſa Sacra Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregatio

hanc

hanc etiam Supplicationem verbis tantùm generalibus, (nulla prorſus propoſitione in ea contenta, quæ fidei, aut bonis moribus repugnet, indicata) poſt tot humillimas Supplicationes *Suæ Sanctitati* factas, vt ad aliquod particulare deſcenderet, non ſolùm condemnavit, verùm etiam eam in medio librorum, quos *Proteſtantes* ſcripſerunt, collocavit, ac ſi Supplicatio illa ab aliquo Proteſtante, & non ab vllo Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filio compoſita eſſet, aut aliquid fidei Catholicæ Romanæ, vel bonis moribus apertè contrarium in ea contineretur. Et nihilominùs de libro illo poſt finem Supplicationis addito, in quo calumniæ *Card. Bellarmini* apertiſſimè deteguntur, & ipſe in iudicium de *aperta calumnia* à *Widdringtono* adducitur, Sacra illa Congregatio ne verbũ quidem facit: Neque etiam ipſemet *Card. Bellarminus*, vel ſuo, vel *Schulckenij* nomine, aut alius quiſpiam pro ipſis, poſt totos quatuor annos iam completos, ad prædictas calumnias hucvſque reſpondit: quod ſanè evidens indicium eſt, ſe ab illis criminationibus purgare ſe nullatenus poſſe. Neque tamen adhuc *Card. Bellarmini* fautores (quæ ſanè maior eorũ culpa eſt) à *Widdringtono*, cæteriſque Catholicis eius doctrinæ adhærentibus iniuſtè divexandis deſiſtunt, ſed in ſuis ſolitis contra eos clamoribus, & irreligioſis calumniationibus etiam nunc (O tempora, O mores!) perſeverant.

12. Mitto nunc, plures alios libros ad hanc controverſiam accuratiùs explicandam à *Widdringtono*, eiuſque doctrinæ adhærentibus, à tempore *Diſputationis Theologicæ* ab ipſo editæ, conſcriptos; nempe;

vnum contra *Franciſcum Suarez*, alterum contra *Leonardum Leſſium* ſub *Guilielmi Singletoni* nomine perſonatum, de Diſcuſſione *Decreti* magni *Concilij Lateranenſis*, duos item contra *Thomam Fitzherbertum* Anglum Ieſuitam, in quibus præcipua omnia argumenta à perſonato *Schulckenio* ad poteſtatem Papalem Principes deponendi comprobandam allata clarè, & perſpicuè diluuntur, & nunc vltimò *Strenam Catholicam* contra *Matthæum Kellinſonum* Anglum, Sacræ Theologiæ Doctorem, & Collegij *Duacenſis* Clericorum Secularium Anglorum *Præſidem*, ſub nomine I. E. Theologiæ ſtudioſo perſonatum, & contra falſam eius ac peſtiferam *Iuramenti fidelitatis* Explicationem, præcipuè compoſitam: Et nihilominùs nemo adhuc vel vni ex prædictis *quinque* libris vllam omnino Reſponſionem dedit: Sed omnes conticuerunt, & *Widdringtonum*, eiuſque doctrinæ adhærentes, in aperta acie, quaſi profugi, & de victoria deſperantes, reliquerunt; quod profectò ſignum eſt, ſe vi argumentorum *Widdringtoni* doctrinam expugnare non poſſe, & proinde eam, illique adhærentes, minis, terroribus, Cenſuris, atque pœnis Eccleſiaſticis conculcare quàm maximè ſtudent. Quin etiam quidam ex noſtro ipſomet Ordine *Benedictino* Frater, ſed parum fraternè, nos duos præ cæteris *Thomam Preſtonum*, & *Thomam Greenæum* plurimùm perſequitur, atque non ſolùm, vt pœnis Eccleſiaſticis (non tamen ob crimen aliquod, quod ipſe, tametſi alioquin doctiſſimus, verè crimen eſſe nobis, aut mundo monſtrare poterit) caſtigemur, verùm etiam vt illi ipſi nos caſtigandi poteſtas à *Sede Apoſtolica* concedatur, ſummo labore

& diligentia enititur, vti ex ſequenti narratione perſpicuum fiet.

13. *Anno integro* abhinc elapſo contigit, vt ego Frater *Thomas Greenæus* in Epiſcopatu *Dunelmenſi* captus, & ad *Epiſcopum Dunelmenſem* perductus, ab eo in eadem Civitate *Dunelmenſi* Carceri mancipatus eſſem: Vbi ab eo circa *Iuramentum* fidelitatis, *Coniurationem pulverariam*, & illius principia ſæpiſſimè examinatus, quid de illis ſenſerim, ſyncerè, provt conſcientia mea tunc mihi dictabat, ſignificavi. Tandem, poſt duos fermè menſes, ab eodem Epiſcopo *Londinum* perductus, & in *Palatio* eius per aliquot hebdomadas, antequam huic Carceri *Clinkenſi* traditus eſſem, detentus, & ab eo ſæpiùs non tantùm rogatus, ſed iuſſus, vt fidelitatem meam, *Suæ Maieſtati* iure divino & naturali debitam, apertè declararem, per *Recognitionem* manu mea propria ſcriptam, ex prioribus meis Examinationibus collectam, & quaſi in vnum corpus redactam, quæque in *Strena Catholica* iam typis excuſa extat, opinionem meam de nefandiſſima illa *Coniuratione pulveraria*, atque de Iuramento fidelitatis ingenuè declaravi, affirmans inter cætera, *nihil in eo Iuramento contineri, vti mihi in privato meo judicio videtur, quod iuxta Gloſſam, & Expoſitionem* Rogeri Widdringtoni *ab Anglis Catholicis* Maieſtatis Suæ *ſubditis licitè ſuſcipi non poſſit, quantumvis aliqui, tum eruditi, tum Religioſi contrarium teneant.*

14. Atque hinc prima & præcipua totius mei gravaminis occaſio nata eſt. Hanc enim meam *Recognitionem* duo præ cæteris ex Congregatione noſtra *Hiſpanica* viri primarij indigniſſimè ferentes, nempe

nempe Reverendus Pater, Frater *Leander Iones* de *S. Martino*, novæ Congregationis *Anglicanæ* Benedictinorum *Præſes*, & miſſionis *Hiſpanicæ* eiuſdem Ordinis *Vicarius generalis*, ac Sacræ Theologiæ Doctor, & Reverendus Pater, Frater *Rudeſindus Barlo*, Sacræ etiam Theologiæ Doctor, & *Duacenſis* Benedictinorũ Anglorum Collegij Prior, mihi per literas, partim minis, partim blanditijs, ſed nullo planè argumento (præter humanos reſpectus, & in Cũria Romana favores aut vituperia) perſuadere conati ſunt, vt prædictam *Recognitionem* retractarem, & doctrinæ *Rogeri Widdringtoni*, (quem præfatus Pater *Leander Authorem* à *Sede Apoſtolica iamdudum proſcriptum, & damnatum* falſiſſimè, & per ſummam iniuriam appellare non eſt veritus, cùm aliqui tantùm *Authoris* libri, ſed non *Author* ipſe ab *Illuſtriſſimis Cardinalibus* ex *mandato*, vt ipſi aiunt, *Suæ Sanctitatis*, damnati & prohibiti ſint) penitus renunciarem.

15. Atque, vt maiorem mihi terrorem præfatus Pater *Rudeſindus* incutiat, *inprimis* me certiorem facit de *Epiſtola* quadam (cuius exemplar prædicti P. *Rudeſindi* manu conſcriptum apud me habeo) Illuſtriſſimi Domini *Nuncij Apoſtolici*, *Lucij* Archiepiſcopi *Salernitani*, qui *Bruxellis* manet, ad Reverendum Patrem Fratrem *Leandrum* miſſa, & data 9 Martij 1620. in qua *Epiſtola* Illuſtriſſimus Dominus *Nuncius Apoſtolicus* inter cætera affirmat, *ex relatione gravium, ac fide digniſſimorum* (ſunt enim ipſiſſima Domini Nuncij verba) *nuper ſibi innotuiſſe, eſſe in* Anglia *Religioſos nonnullos* Benedictinos, *qui ſecretò favent* Widdringtono *ex eodem Ordine, & non ſolùm cum ſcandalo ſuæ opi-*

*nioni*

*nioni de* Iuramento fidelitatis, *ſed ipſi* Iuramento, *non verentes commendare, & plaudere libro à dicto* Widdringtono *nuper conſcripto adverſùs librum Patris* Leſſij *Societatis Ieſu, ſub nomine Doctoris* Singletoni, *in quo libro* Iuramentum *confutatur. Ne deſit igitur Paternitas tua ſedulò inveſtigare, qui ſint prædicti* Benedictini *plaudentes prædicto* Widdringtono, *ac ijs repertis expedire iudicarem, vt ij quamprimùm ex* Anglia *revocarentur, ac interim omni authoritate privarentur.*

16. *Deinde,* idem Pater *Rudeſindus* verbis expreſſis aſſerit, *Superiores meos apud ſe firmiter ſtatuiſſe, ad me Eccleſiaſticis Cenſuris compellendum, vt vel ab illa opinione defendenda abſtineam, vel, ſi de ea tractare velim, vt illam impugnem, vel quod antea dixerim, aut ſcripſerim retractem; alioquin me ab Altari, & cæteris omnibus, quæ ad functionem meam pertinent, ſuſpendere, illis inſtitutum eſſe:* Atque inſuper addit, *Nuncium Apoſtolicum nunquam ceſſaturum, donec talia mandata ex Hiſpania obtineat. Et interim idem* Nuncius Apoſtolicus *Venerandum Patrem noſtrum* Præſidentem, & Hiſpanicæ *Congregationis* Vicarium *generalem vrget* (ait Pater iſte) *vt me, quantum poſſit, coercere velit. Abſque dubio hoc fiet, & fieri poteſt* (ait Pater *Rudeſindus,* magis authoritativè, meo quidem iudicio, & tanquam *Prior* ad Novitios ſuos in Capitulo loquens, quàm eruditè, & inter Theologos, tanquam *Doctor,* ex Cathedra docens) *cùm executio meæ functionis poſsit eſſe actus obedientiæ, quam Superiores mei* (ait ille) *pro libito ſuo permittere, vel prohibere poſſunt:* Quaſi verò, vel ego abſolutam obedientiam in omnibus, & non ad regulam S. Benedicti, iuxta Conſtitutiones Congregationis noſtræ Hiſpanicæ à Sede Apoſtolica appro-

approbatas, duntaxat reſtrictam, & limitatam promiſerim, vel quòd Superiores mei, aut alius quicunque, aut per modum præcepti, aut alio quovis modo, me pœnis, præſertim Eccleſiaſticis, ad libitum, & abſque omni culpa à me commiſſa, caſtigandi poteſtatem habeant.

17. Et poſtea adiungit, idque mihi tanquam ſecretum, *ſcilicet*, pandere prætendit, *me hoc pro certo intelligere debere, Superiores meos firmiter ſibi propoſuiſſe, quòd erga Eccleſiæ cauſam magis zelantes ſe præbere velint, quàm Superiores illius, qui* Widdringtonus *putatur, ſeſe præbuerint.* Quaſi verò, *Eccleſiæ cauſa* ab opinionibus, quæ apud eruditos Catholicos in controverſia verſantur, dependeat, aut ex ijs ſtet, vel cadat; vel illi Theologi, qui tot Summorũ Pontificum opiniones, & praxim circa diſpenſationes in voto ſolenni caſtitatis, & matrimonio rato, non conſummato, reijciunt, & directũ Summi Pontificis in temporalibus dominium impugnant, tanquam parum *zelantes erga Eccleſiæ cauſam* traducendi eſſent. Sed vtinam viri Religioſi, his præſertim calamitoſis temporibus, ſub fucato *Eccleſiæ*, & *Dei cauſæ* promovendæ prætextu, *cauſam propriam*, non agerent, atque ad viros innocentes, Societatis ſuæ vijs indebitis, & in fratrum ſuorum, eiuſdemque fidei, & Ordinis domeſticorum iniuſtam depreſſionem, nimiùm exaltandæ gratia, opprimendos, & iniquè perſequendos, haudquaquam adniterentur.

18. *Poſtremò* (vt alia nunc taceam) addit *Pater* iſte, (quòd ſanè Doctore Theologo prorſus indignũ eſt) *opinionem probabilem ſufficiens meis Superioribus fundamentum eſſe, vt ita contra me procedere poſſint, neque omnes*

*totius*

*toti' orbis* Widdringtonos *iſtud tollere poſſe.* Si enim Doctor iſte notiſſima Theologiæ principia ſyncerè, & abſq; vllo humani reſpectus intuitu, expendiſſet, profectò hæc *quatuor* ignorare non poterat. *Primum*: non poſſe quenquam puniri pœnis, præſertim Eccleſiaſticis, niſi propter culpam. *Secundum*: nullam eſſe culpam, opinionem non omnino certam, ſed duntaxat probabilem reijcere, in favorem tertiæ perſonæ, quæ in poſſeſſione ſui iuris & dominij exiſtit; & proinde opinionē probabilē ſufficiens Superioribus meis fundamentū non eſſe, vt me, nullius criminis reum, pœna aliqua afficere poſſint; & hoc tam manifeſtum eſt, vt non opus ſit *Widdringtono*, aut cuivis alteri Theologo in eo comprobando multùm deſudare. *Tertium*: *Poteſtatem non omnino certam, ſed duntaxat probabilem, non poſſe eſſe ſufficiens fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo iure ſuo & dominio in re obtento ſpolietur, ſed talis poteſtas certiſſimè debet competere*[h]. *Quartum*: me non abſolutam, & omnimodam obedientiam in omnibus, ſed ſolùm ſecundùm regulam *S. Benedicti*, eo modo, quo per ſtatuta & conſtitutiones *Congregationis* noſtræ licitas, & à *Sede Apoſtolica* approbatas, quando profeſſionem emiſi, obſervata eſt, Superioribus meis promiſiſſe: nam alioquin poſſent Superiores mei me ad Statuta *Camaldulenſium*, aut *Ciſtertienſium* reformatorum, qui omnes ſub regula *S. Benedicti* militant, obſervanda volentem nolentem obligare, quandoquidē ſi ratiocinatio P. *Rudeſindi* ſolida eſſet, obſervatio eiuſmodi conſtitutionum poteſt eſſe actus *obedientiæ*, quam Superiores mei pro libito ſuo, *ſcilicet*, præcipere poſſunt, cùm tamen neque votum, neque

[h] *ita etiam docet verbis expreſſis* Leſſius *in ſuo* Singletono *part. 2. nu. 38.*

approbatas, duntaxat reſtrictam, & limitatam promiſerim, vel quòd Superiores mei, aut alius quicunque, aut per modum præcepti, aut alio quovis modo, me pœnis, præſertim Eccleſiaſticis, ad libitum, & abſque omni culpa à me commiſſa, caſtigandi poteſtatem habeant.

17. Et poſtea adiungit, idque mihi tanquam ſecretum, *ſcilicet*, pandere prætendit, *me hoc pro certo intelligere debere, Superiores meos firmiter ſibi propoſuiſſe, quòd erga Eccleſiæ cauſam magis zelantes ſe præbere velint, quàm Superiores illius, qui* Widdringtonus *putatur, ſeſe præbuerint.* Quaſi verò, *Eccleſiæ cauſa* ab opinionibus, quæ apud eruditos Catholicos in controverſia verſantur, dependeat, aut ex ijs ſtet, vel cadat; vel illi Theologi, qui tot Summorũ Pontificum opiniones, & praxim circa diſpenſationes in voto ſolenni caſtitatis, & matrimonio rato, non conſummato, reijciunt, & directũ Summi Pontificis in temporalibus dominium impugnant, tanquam parum *zelantes erga Eccleſiæ cauſam* traducendi eſſent. Sed vtinam viri Religioſi, his præſertim calamitoſis temporibus, ſub fucato *Eccleſiæ*, & *Dei cauſæ* promovendæ prætextu, *cauſam propriam*, non agerent, atque ad viros innocentes, Societatis ſuæ vijs indebitis, & in fratrum ſuorum, eiuſdemque fidei, & Ordinis domeſticorum iniuſtam depreſſionem, nimiùm exaltandæ gratia, opprimendos, & iniquè perſequendos, haudquaquam adniterentur.

18. *Poſtremò* (vt alia nunc taceam) addit *Pater* iſte, (quòd ſanè Doctore Theologo prorſus indignũ eſt) *opinionem probabilem ſufficiens meis Superioribus fundamentum eſſe, vt ita contra me procedere poſſint, neque omnes*

*totius*

*toti' orbis* Widdringtonos *iſtud tollere poſſe.* Si enim Doctor iſte notiſſima Theologiæ principia ſyncerè, & abſq; vllo humani reſpectus intuitu, expendiſſet, profectò hæc *quatuor* ignorare non poterat. *Primum:* non poſſe quenquam puniri pœnis, præſertim Eccleſiaſticis, niſi propter culpam. *Secundum:* nullam eſſe culpam, opinionem non omnino certam, ſed duntaxat probabilem reijcere, in favorem tertiæ perſonæ, quæ in poſſeſſione ſui iuris & dominij exiſtit; & proinde opinionē probabilē ſufficiens Superioribus meis fundamentū non eſſe, vt me, nullius criminis reum, pœna aliqua afficere poſſint; & hoc tam manifeſtum eſt, vt non opus ſit *Widdringtono*, aut cuivis alteri Theologo in eo comprobando multùm deſudare. *Tertium:* ***Poteſtatem non omnino certam, ſed duntaxat probabilem, non poſſe eſſe ſufficiens fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo iure ſuo & dominio in re obtento ſpolietur, ſed talis poteſtas certiſsimè debet competere*** [h]. *Quartum*: me non abſolutam, & omnimodam obedientiam in omnibus, ſed ſolùm ſecundùm regulam *S. Benedicti*, eo modo, quo per ſtatuta & conſtitutiones *Congregationis* noſtræ licitas, & à *Sede Apoſtolica* approbatas, quando profeſſionem emiſi, obſervata eſt, Superioribus meis promiſiſſe: nam alioquin poſſent Superiores mei me ad Statuta *Camaldulenſium*, aut *Ciſtertienſium* reformatorum, qui omnes ſub regula *S. Benedicti* militant, obſervanda volentem nolentem obligare, quandoquidē ſi ratiocinatio P. *Rudeſindi* ſolida eſſet, obſervatio eiuſmodi conſtitutionum poteſt eſſe actus *obedientiæ*, quam Superiores mei pro libito ſuo, *ſcilicet*, præcipere poſſunt, cùm tamen neque votum, neque

[h] *ita etiam docet verbis expreſſis* Leſſius *in ſuo* Singletono *part. 2. nn. 38.*

promiſſionem aliquam vltra intentionem illius qui vovet, aut promittit, obligare, cuivis Theologiæ perito nimis manifeſtum ſit. Atque hæc ſunt quædam ex præcipuis, quæ in præfatis iſtorum *Patrum* literis ad me ſcriptis contenta obſervanda duxi.

19. Veruntamen prædictis omnibus, & ſingulis eorum literis tam Illuſtriſſimi Domini *Nuncij Apoſtolici*, quàm Reverendorum Patrum *Leandri*, & *Rudeſindi*, ego etiam per literas reſpondi, affirmans inter cætera, nullum planè crimen eſſe nobis Catholicis in *Anglia* doctrinam verè probabilem, ſeu *opinionem* (ita enim *Patres* iſti eam in ſuis literis ſemper appellant) quam plurimi Catholici eruditi approbant, in favorē Regis noſtri Sereniſſimi, qui dominia ſua legitimè poſſidet, & ad fidelitatem noſtram illi iure divino, ac naturali debitam recognoſcendam, approbare, cùm præſertim doctrina contraria à plurimis Catholicis in *Francia*, quos ipſemet *Dominus Papa*, teſte *Card. Perono*, tolerat, non ſolùm improbetur, verùm etiam, vti *falſa, ſcandaloſa, ſeditioſa*, & *ſupremæ Regũ in temporalibus poteſtati apertè detrahens*, & *Coronis, ac Capitibus ſuis periculum afferens*, ſub pœna *læſæ Majeſtatis* pluribus *Arreſtis* [1] *expreſsè condemnetur*. Atque inſuper in ijs literis ſyncerè proteſtatus ſum, me paratiſſimum eſſe, ad omne illud, quod à me malè ſcriptum, aut dictum fuerit, retractandum, dummodo ipſi quidquam prorſus, quod malè ſcripſerim, aut dixerim, mihi notum facere dignarentur. Et proinde eos obnixè rogavi, vt ad particularia deſcenderent, mihique particulatim ſignificarent vel vnicam propoſitionem in mea *Declaratione*

Card. Peron en Harangue au tiers Eſtat. pag 98.

[1] Arreſta in fine Strenæ Catholicæ ponuntur.

*claratione* contentam, quæ ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus adverſetur.

20. Sed cùm Patres iſti nihil ſe apud me proficere perſpicerent, ſed in caſſum laborare, niſi ad particularia deſcenderent, ( quod illi, cauſæ ſuæ procul dubio diffiſi, non adhuc præſtiterunt) prædictus Pater Frater *Leander* aliam viam, clandeſtinis ſuis, & iniurioſis machinationibus, & Iuriſdictioni ſuæ in alios etiam illi non ſubditos extendendæ, magis commodam, non ad me tantummodò, ſed etiam ad D. *Thomam Preſtonum*, quantumvis eius Iuriſdictioni minimè ſubiectum, caſtigandum, & ad omnes omnino *Caſſinenſes* Benedictinos, in *Anglia* commorantes, ſuæ Iuriſdictioni, & caſtigationi, volentes nolentes, ſubijciendos excogitavit. Atque idcirco aliquot ab hinc menſibus Epiſtolam ſatis prolixam, datam ſexto Iulij 1620, ad præfatum Illuſtriſſimum Dominum *Nuncium Apoſtolicum*, qui *Bruxellis* manet, conſcripſit, in qua, vt *Illuſtriſſimæ Dominationis Suæ* indignationem etiam in D. *Thomam Preſtonum* concitaret, totam mei *calamitoſi lapſus* (vt verbis illius nunc vtar) cauſam in eum conijcit, *meq; ab eo dulcibus alloquijs, ſermonibus, ac beneficijs ſeductum eſſe*, intrepidè affirmat, quod tamen falſiſſimum eſſe ego ingenuè, & ſyncerè coram Deo profiteor.

21. Et in eadem Epiſtola idem Pater, *Frater Leander*, ſed parum fraternè, non *Rogerum Widdringtonum*, ſed me *Thomam Preſtonum* librorum à *Widdringtono* editorum Authorem eſſe verbis diſertis affirmare non veretur. Et, vt toti noſtræ *Congregationi Caſſinenſi* maiorem invidiam conflaret, me monachorum *Caſſinenſium*,

ſium, qui in *Anglia* commorantur, *Superiorem* appellare non erubeſcit, non levem inde notam *Superioribus*, & R.mo *Præſidi* Congregationis noſtræ *Caſsinenſis* invrere ſtudens, quòd ipſi me de libris *Widdringtoni* conſcribendis, aut ſaltem de doctrina eius propugnanda notoriè ſuſpectum (ſi doctrinam illam propugnare verè *nota*, ſeu *noxa*, & *culpa* eſſet) locum *Superioris* hîc in *Anglia* tenere hucvſque permitterent: Cùm tamen notiſſimum ſit (idque Reverendus Pater D. *Anſelmus* Anglus, tunc *Romæ* exiſtens, & *Superior* noſter hîc in *Anglia* manens, cæterique *Caſsinenſes* illi ſubiecti teſtari poſſunt) me pluribus abhinc annis omnem, quam habui in *Caſsinenſes* authoritatem, vltro reſignaſſe.

22. Atque, vt omnes Patres *Caſsinenſes* Sedi Apoſtolicæ magis ſuſpectos, & exoſos reddat, inſuper addit, *aliquos in Italia ipſa Congregationis ipſius* Caſſinenſis *monachos* (iſtudq; quod dicit ſe ſcire aſſerit) *opinionem* Widdringtoni *laudare, & mirari*. Atque *in Anglia Caſsinenſes omnes Iuramento favere*.

23. Sed neque his contentus prædictus Pater *Leander* vlteriùs progreditur, &, ſub ſpecioſo eos *Benedictinos*, qui *Widdringtoni* doctrinæ adhæreſcunt, caſtigandi prætextu, omnes omnino, tam *Caſsinenſis*, quàm alterius cuiuſcunque Congregationis *Benedictinos*, præſentes vel futuros, quamdiu hîc in *Anglia* manent, volentes nolentes, ſuæ Iuriſdictioni, & Correctioni ſubijcere quamplurimùm ſtudet (cùm tamen Pater iſte, dum in minoribus eſſet, & Reverendi Patris *Auguſtini Bradſhaw*, Hiſpanicæ Congregationis Religioſi Iuriſdictioni ſubiectus, in Congregationem noſtram

noſtram *Caſsinenſem*, literis ſuis ad me ſcriptis, admitti obnixè poſtularet) Sed *bonores*, vt in proverbio eſt, *mores mutant*. Ea propter Illuſtriſſimum Dominum Nuncium in prædicta Epiſtola ſua inſtanter rogat, vt à Sede Apoſtolica hoc Privilegium impetrare velit, quòd omnes omnino *Benedictini*, cuiuſcunque tandem *Congregationis* fuerint, ſuæ *Iuriſdictioni*, & *Correctioni*, atque novæ *Congregationis* Anglicanæ *ſtatutis, ac legibus*, quamdiu in Anglia manent, volentes nolentes, ſubijciantur: quinetiam non parum conqueritur, quòd *Sanctitas Sua* iſtud Privilegium, cùm anno præterito Patres iſti id à *Sua Sanctitate* obnixè poſtularent, illis denegaverit.

24. Atque vt, ſub ſpecioſo ſingularis ſuæ erga Sedem Apoſtolicam devotionis, & *Widdringtoni* fautores caſtigandi prætextu, Dominationem ſuam Illuſtriſſimam ad hoc Privilegium pro illis impetrandũ facilius induceret, non ſemel, ſed iterum inculcat *Iuramentum* illud, cuius mentio in *Strena Catholica* habetur, quo omnes, qui in nova *Congregatione Anglicana* profeſſionem emiſſuri ſunt, obſtringuntur, ad *opiniones* Widdringtoni *ex animo ſemper abrenunciandas, damnandas, illiſq; Anathema dicendum*. Et, vt nos omnes *Caſsinenſes* Illuſtriſſimo Domino Nuncio magis odioſos reddat, illi ſuggerere non dubitat, quòd, *vbi* Caſſinenſes *Statutum de Iuramento illo præſtando conſpexêre, penitus ſe ab eorum vnione ſubduxerunt, & adhuc ſubducunt*; atque etiam, *quòd non defuerit vnus ex* Caſſinenſibus, *qui prædicto Patri* Leandro *in faciem dixerit, inter reliquas cauſas cur ſe ſubducant, illam eſſe præcipuam, quòd illas opiniones temerè* (vt dicebat Caſſinenſis ille) *condemnaſſent*.

25. Verun-

25. Veruntamen falſum omnino eſt, idcirco *Caſſinenſes* ſe ab eorum vnione ſubduxiſſe, eò quod Decretum de Iuramento illo præſtando condiderint; cùm *Caſſinenſes*, ante omne prorſus Decretum de Iuramento illo præſtando ab illis editum, ſeſe ab eorum vnione ſubduxerint, & proinde *Caſſinenſes* nullo modo induci potuerunt, vt ad vlla planè Decreta condenda cum illis *Lutetiæ Pariſiorum* convenirent. Sed idcirco *Caſſinenſes* ſe ab eorum vnione ſubduxerunt, quoniam non aliam vnionem Hiſpanicæ Congregationis *Benedictini* moliebantur, quàm vt omnes, tam *Caſſinenſis*, quàm *Anglicanæ* Congregationis Religioſi *Hiſpanicæ* ſubijcerentur; quod iam ſuis aſtutijs, quod ad Congregationem Anglicanam attinet, ad effectum [k] perduxerunt; neque tamen adhuc contenti, tam *Caſſinenſes*, quàm cuiuſcunque alterius, tum *Gallicanæ*, tum *Lotharingicæ* Congregationis Anglos Benedictinos, ſibi & Congregationi Hiſpanicæ (ſub ſpecie Benedictinos, qui *Widdringtoni* doctrinæ favent, ſi qui ſint vel fuerint, caſtigandi,) ſubijcere etiamnum ſtudent.

[k] *Aliqui tamen ex Congregationis* Hiſpanicæ *Benedictini ſibi perſuadent, novæ iſtius Congregationis* Anglicanæ *Superiores* Hiſpanis *fucum fecere, hoc & illis inſtitutum eſſe, vt, poſtquam,* Hiſpanorũ *ope, & protectione ſteti, ampliſſima privilegia, ad quæ aſpirant, à* Sede Apoſtolica *impetraverint, neque eorũ patrocinio, aut protectione amplius indiguerint, hoc quale cunq; ſubterfugio, ſive realis, ſive verbalis tantùm ſit, Congregationis* Anglicanæ *ad* Hiſpanicam *iugum omnino excutiant.*

26. Alia etiam præfatus Pater *Leander* in ſua Epiſtola ſuggerit Suæ Dominationi Illuſtriſſimæ, vel à veritate, vel à charitate & iuſtitia prorſus aliena (atque in tota hac ſua cantilena opinio *Widdringtoni* verſus intercalaris ſemper eſt) Veluti (vt alia nunc taceam) *primò*, in eo quòd aſſerit, *Caſſinenſes* Benedictinos *egiſſe apud* Summum Pontificem, *& ſemel obtinuiſſe, vt omnes Anglos etiam Congregationis* Hiſpanicæ *Benedictinos in vnã Congregationem* Anglicanam *ab ipſis Caſſinenſibus præſertim regendam coaleſcerent, & Congregationem* Hiſpanicam

*ſibi*

*ſibi ſubjcere tentaſſe, eo fine, vt opinioni* Widdringtoni *plures Patronos conciliarent*: Quod tamen omnino falſum eſt, id que ex ipſomet Summi Pontificis Decreto, cuius Pater iſte mentionem facit, manifeſtè conſtat. Neque enim Patres Caſſinenſes converſionem Congregationis Hiſpanicæ in Caſſinenſem, aut ſubiectionem Hiſpanicæ ad Caſſinenſem vnquam meditati ſunt, ſed ſolummodo omnium trium Congregationum, *Caſsinenſis*, *Hiſpanicæ*, & *Anglicanæ* vnionem inter ſe (Procuratore generali Congregationis Hiſpanicæ, qui tunc Romę agebat, & Patribus Congregationis Anglicanę aſſentientibus) procurare conati ſunt: ita vt Anglicana Benedictinorum (qui omnes primùm Caſſinenſes erant, & Patribus Caſſinenſibus ſubiecti) Congregatio nuper erecta tam à Congregatione Hiſpanica, quàm Caſſinenſi in primordio ſuæ fundationis dependeret, tali tamen cautione adhibita, vt Superiores horum omnium Benedictinorum Anglorum ex Congregationis *Caſsinenſis*, *Hiſpanicæ*, & *Anglicanæ* Religioſis alternatim quolibet triennio eligerentur.

27. *Deinde*, in eo quod Pater iſte Frater *Leander*, parum quidem fraternè, omnes Caſſinenſes Anglos penitus extinguere & extirpare conetur. Et proinde prædictum Illuſtriſſimum Dominum Nuncium Apoſtolicum obnixè rogat, vt R. P. D. *Hubertum Rolle*, Præſidem Congregationis Lotharingicæ Benedictinorum, *graviter monere velit, ne vllatenus pro Caſsinenſibus* (qui tamen quondã tum Congregationis Anglicanę, tum Hiſpanicæ Patres & Fundatores fuerunt) *aut pro vllis alijs Novitios Anglos* Benedictinos *educare præſumeret, niſi eos tantùm, qui parati ſunt cum effectu parere* Congregationi

gregationi Anglicanæ Benedictinæ, *cui præeſt hoc tempore Pater* Leander *de* S. Martino, *ex decreto* Suæ Sanctitatis, *à fratribus ſuis electus, propter rationes* Illuſtriſſimæ Dominationi Suæ *bene notas, &* Suæ Sanctitati *gratas.* Et *ſimiles literas ab Illuſtriſſimo* Nuncio Galliarum in eundem finem *ſe obtenturum confidit*, ait iſte Pater *Leander*, ſub ſpecioſo hoc prætextu, quod *ſi permittatur* Caſſinenſibus *Anglos Benedictinos multiplicare, totidē erunt Iuramenti vetiti propugnatores* (ſunt enim ipſamet Patris Leandri verba) *ſimulac in Angliam pervenerint.* Et quid hoc aliud eſt, quàm factionibus & oppreſſionibus doctrinam illam, quam ipſemet Papa in Francia tolerat, in ſummam Principum ſupremorum iniuriam, hîc in Anglia conculcare, quam rationibus & argumentis ſe vnquam infringere poſſe planè diffidunt? Sed de tota hac Patris *Leandri Epiſtola*, alibi forſan ad innocentiam noſtram, quam ipſe parum religioſè ac fraternè malis artibus opprimere ſtudet, defendendā, copioſior erit ſermo.

28. Atque interim, quàm parum iuſtam nos fratres ſuos, eiuſdemque *fidei Catholicæ*, atque eiuſdem *Ordinis Benedictini* domeſticos, ob doctrinam *Widdringtoni* propugnandam, tam acerbè perſequendi cauſam habuerit *Pater* iſte, facilè perſpicere poteſt (cùm vir eruditus ſit, & Sacræ Theologiæ Doctor) ſi ſeriò, & abſque vllo humani reſpectus, Pontificij præſertim favoris, intuitu, ſecum conſideret, doctrinam *Widdringtoni* (quam nec ipſe Pater *Leander*, nec P. *Rudeſindus* hæreſim, errorem, aut doctrinam non ſanam dicere auſi ſunt, ſed duntaxat opinionem in literis ſuis ſemper appellant) ipſummet Dominum Papam in

Francia

Francia tolerare, non ſolùm ſicut fœneratores, meretrices, aut alij publici peccatores tolerantur, ſed eos etiam, qui illam propugnant, ad Sacramenta Eccleſiaſtica admittendos permittere; eamque à Senatu Pariſienſi pluribus Arreſtis confirmatam eſſe, & contrariam Card. *Bellarmini, Franciſci Suarez*, & ſimilium, vti *falſam, & ſeditioſam*, ſub pœna *læſæ Maieſtatis*, condemnatam; nec *debere hanc controverſiam* (teſte Card. Perono) [1] *impedire revnionem eorum, qui Eccleſiæ reconciliari deſiderarent*; atque inſuper, *Widdringtonum*, pluribus libris ab eo iam editis, quibus nulla adhuc Reſponſio facta eſt, perſpicuè commonſtraſſe, doctrinam ſuam vi argumentorum expugnari non poſſe: Et præterea ſi Pater iſte *Leander* rite expendat, quid ipſemet in Epiſtola ſua Illuſtriſſimo Domino Nuncio ſuggerere non dubitet; nempe, doctrinam *Widdringtoni*, non ſolùm ab *aliquibus Caſſinenſibus in Italia*, verùm etiam hîc in Anglia ab omnibus *Caſſinenſibus*, & à pluribus *Clericis Secularibus* expreſsè, atque ab ipſiſmet *Patribus Ieſuitis* ſaltem tacitè approbatam eſſe. Ait enim in illa Epiſtola, *non paucos ex Clericis Secularibus, eoſq; etiam non contemptibiles, Iuramentum propugnare, & tanquam legitimũ defendere, ac ſuadere*. Et de Patribus Ieſuitis ita ſcribit, *ſeipſos quidem ab illo Iuramento immunes ſe ſervaſſe. Cæterùm certiſsimum eſt mihi, ex fide digna relatione* (ſunt ipſiuſmet Patris Leandri verba) *multos, magnoſq; viros Laicos ipſis addictiſsimos* (*quorum nempe conſilio conſcientias ſuas ſubmiſerunt dicti Laici*) *non ſolùm Iuramentum illud approbaſſe, ſed etiam de facto præſtitiſſe. Neque tamen propterea* (*quantum ego intelligere potui*) *à communione Sacramentorum prohiberi*. Et quid hoc eſt aliud, quàm Patrẽ *Leandrũ* exiſtimare,

[1] *in ſua* Replica. *cap. 91. pag. 633.*

Iuramentum illud à doctiſſimis Ieſuitis tectè & tacitè approbatam eſſe? Atque idcirco Pater iſte (cùm ſacræ Theologiæ peritus ſit) ignorare non poteſt, doctrinã *Widdringtoni* verè probabilem eſſe, vtpote à plurimis eruditis Catholicis, qui rem totam diligenter examinarunt, approbatam, quamque proinde, iuxta notiſſima Theologiæ principia, quilibet Catholicus abſque omni prorſus culpa pœnæq; reatu, licitè & tutâ conſcientiâ propugnare poterit.

29. Ex quibus omnib' diligenter conſideratis perſpicuum eſt *primò*, quanto ſtudio & induſtria elaboret præfatus Pater *Leander*, vt nos fratres ſuos *Thomam Preſtonum*, & *Thomam Greenæum*, nullius planè criminis reos, caſtigandi facultatem, & exorbitantia Privilegia, in maximam quamplurium *Sui Ordinis* Fratrũm iniuriam, à Sede Apoſtolica malis artibus & falſis ſuggeſtionibus emendicet.

30. *Secundò*, quàm proclivis ſit præfatus Illuſtriſſimus Dominus Nuncius Apoſtolicus, non bene conſultus, ad Benedictinos Anglos, & ſubinde alios omnes Catholicos, qui doctrinæ *Widdringtoni* favent, pœnis Eccleſiaſticis caſtigandos, ſub prætextu criminis, quod neque Dominatio Sua Illuſtriſſima, nec alius quiſpiam, quantumvis doctiſſimus, verè crimen eſſe, vel adhuc probarunt, vel vnquam comprobare poterunt: Sicut etiam prædictus Illuſtriſſimus Dominus Nuncius Apoſtolicus non bene conſultus erat, quando in præfata ſua Epiſtola ad Patrem *Leandrũ* aſſeruit, *Patrem* Leſſium *Societatis Ieſu in libro ſuo ſub nomine Doctoris* Singletoni *Iuramentum confutaſſe* [m], cùm tamen in illo libro ne verbum quidem de Iuramento illo habeatur.

[m] *ſupra nu.* 25.

31. *Ter-*

31. *Tertiò*, quàm propensa fuerit *Sacra* Illustrissimorum Cardinalium *Congregatio*, ex prava *Card. Bellarmini*, eiusque sequacium informatione, non solùm ad duos illos *Widdringtoni* libros modo planè insolito damnandos, & prohibendos, atque ad Authori iniungendum, *vt se quamprimùm purget*, alioquin *Censuris & alijs pœnis Ecclesiasticis omnino coercendus*, nullo tamen crimine vel speciatim, vel generatim indicato, ob quod libri eius damnati, & prohibiti sint, vel à quo ipse se purgare debeat, verùm etiam quod magis mirandum est, ad damnandam & prohibendam, verbis tantùm generalibus, illam ipsam Supplicationem, in qua idem *Widdringtonus Suam Sanctitatem* humillimè rogat, vt, pro debito sui officij Pastoralis, illi notam faceret vel vnicam propositionem particularem in libris suis contentam, vel sanæ doctrinæ, vel bonis moribus adversantem, ob quam libri illi *ex mandato Suæ Sanctitatis* (vti in Decreto dicitur) damnati & prohibiti sint, & à qua *Author* ipsorum se purgare debeat: cùm tamen vix credibile sit, *Suam Sanctitatem*, tot tantisque negotijs publicis, atque domesticis præpeditam, libros illos aut perlegisse, aut saltem diligenter examinasse; & proinde nec Illustrissimis Dominis Cardinalibus circa prædictos libros quidquam mandasse, quàm quod *mandandum* ipsimet Domini Cardinales *Suæ Sanctitati*, ex prava informatione, suggesserint.

32. Quapropter, prædictis omnibus, & singulis rationibus, gravaminibus, & oppressionibus maturè, ac diligenter perpensis, Atque etiam, ne præfata Illustrissimorum Dominorum Cardinalium ad *Indicem* deputatorum *Sacra Congregatio*, (in qua *Card. Bellarminus*

præcipuus *Widdringtoni* Adversarius, vel primus, vel vnus ex primis est) ex falsis prædicti Patris *Leaudri* informationibus, aut importunis præfati Illustrissimi Domini Nuncij Apostolici persuasionibus, vel sinistris *Card Bellarmini*, eiusve sequacium suggestionibus, facilem hinc ansam arripiat nos de nullo adhuc crimine speciatim accusatos, neque iuridicè admonitos, citatos, auditos vel defensos, contra omnem rationem, & iustitiam condemnandi, eo modo, quo contra libros à *Widdringtono* editos sententiam tulit, nullo particulari crimine indicato, ob quod libri illi damnati, & prohibiti sint, & à quo eorum *Author* (iuxta *Admonitionem* in ipso *Decreto* contentam) sese purgare debeat: Idcirco Nos D. *Thomas* (alias *Rolandus*) *Prestonus*, Presbyter, Ordinis *S. Benedicti* Congregationis *Cassinensis* Religiosus, ac Sacræ Theologiæ Professor, & Frater *Thomas Greenæus*, Presbyter, Ordinis *S. Benedicti* Congregationis *Hispanicæ* Religiosus, ac Sacræ Theologiæ Professor, sentientes, tam nosmetipsos quàm *Rogerum Widdringtonum* Catholicum Anglum, cæterosque eius doctrinæ adhærentes, & adhærere volentes, quàm maximè gravatos, læsosque, & oppressos esse, & prædicta *duo Illustrissimorum Cardinalium* ad *Indicem* deputatorum *Decreta*, anno Domini 1614 die 16 *Martij* contra *Apologiam pro Iure Principum*, & *Disputationem Theologicam de Iuramento fidelitatis* à *Rogero Widdringtono* editas, & anno Domini 1616 die 12 Novembris, contra humillimam *eiusdem* Widdringtoni *Supplicationem ad S. D.* Paulum *V. Pont. Max. Romæ* publicata, præcipuam nostri gravaminis, læsionis, & oppressionis causam esse, atque insuper præsentientes,

nos

nos inprimis, & ſubinde cæteros omnes, qui doctrinæ *Widdringtoni* favent, niſi ſiniſtris Adverſariorũ informationibus, doloſis machinationibus, & iniquis conatibus confeſtim occurramus, contra omnem rationẽ & iuſtitiam magis gravandos & opprimendos fore, à prædictis *duobus Decretis*, tanquam manifeſtè iniuſtis, & ab ipſiſmet *Illuſtriſsimis Dominis Cardinalibus* ad *Indicem* deputatis, tanquam parum æquis, ſuſpectis, & malè informatis Iudicibus, & à quacunque ſententia, ſive definitiva, ſive interlocutoria, aut alio quovis nomine nuncupetur, ab ipſis intuitu prædictæ *Widdringtoni* doctrinæ, aut vllo ad eam reſpectu habito, vel iam lata & denunciata, vel deinceps ferenda & denuncianda, & à quavis alia authoritate, ipſis etiam *Illuſtriſsimis Dominis Cardinalibus*, aut *Nuncijs Apoſtolicis*, alijſve quibuſcunque delegata, vel deleganda, ad *Sanctiſsimum Dominum* noſtrum *Papam* (qui ſupremus totius Eccleſiæ, omniumque noſtrûm, etiam *Illuſtriſsimorum Cardinalium*, Pater, Paſtor, & in ſpiritualibus Superior eſt) nomine noſtro, & *Rogeri Widdringtoni* Catholici Angli, cæterorumque eius doctrinæ adhærentium, & adhærere volentium, immediatè provocavimus & appellavimus, provt in his ſcriptis ad eum immediatè appellamus & provocamus inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè, atque etiam *Illuſtriſsimum Cardinalem Bellarminum* de atrociſſimis illis calumnijs, quas *Widdringtonus* in libello ſupplici, anno Domini 1616 impreſſo, *Suæ Sanctitati* perſpicuè detexit, quæq; etiam maximã noſtri gravaminis, & oppreſſionis cauſam præbuerunt, in iudicium vocamus, & iuſtitiam contra eum obnixè poſtulamus; *Suam Sanctitatem* humillimè

millimè deprecantes, & per tremendum illum *Iudicē*, ante cuius Tribunal nos omnes, neſcimus quàm citò, comparituri ſumus, & exactiſſimā noſtræ qualiſcunq; villicationis rationē reddituri, ſuppliciter obteſtantes, vt non velit cauſam noſtram, niſi ordine iuris ſaltem naturalis ſervato, iudicare, aut pro doctrina illa propugnanda, quam *Sanctitas Sua* in *Francia* tolerat, [n] quæque *impedire non debet* [o] *revnionē eorū, qui Eccleſiæ reconciliari deſiderarent*, quæq; etiam à *Senatu Pariſienſi* plurib⁹ *Arreſtis* [p] approbata eſt, & contraria *Card. Bellarmini*, *Franciſci Suarez*, & ſimilium, tanquam *falſa & ſeditioſa*, ſub pœna *læſæ Maieſtatis*, proſcripta, nos condemnare, aut pœna aliqua, quæ neceſſariò culpam ſupponit, cuius nos conſcij non ſumus, vel ſententia vlla, quæ, ſi iuſta non ſit, in foro conſcientiæ non obligat, niſi de crimine aliquo ſpeciatim, & iuridicè accuſatos, admonitos, citatos, auditos, defenſos, & convictos afficere vel innodare: Atque etiam, ſi poſt accuratam cauſæ noſtræ diſcuſſionem, *Sanctitas Sua* perſpexerit, ſe à *Card. Bellarmino*, eiuſve ſequacibus, deluſam, & malè informatam eſſe, eoſque incertas ſuas opiniones, collectiones, Scripturarum, & Conciliorū expoſitiones, in re tam gravi, qualis eſt debita noſtra fidelitas *Deo* & *Cæſari* exhibenda, pro certiſſimis fidei Catholicæ dogmatibus, & pro indubitato Scripturarū & Conciliorum ſenſu, *Suæ Beatitudini*, totiq; mundo obtrudere voluiſſe, vt ſaltem eo modo, quo controverſiam illam, inter *Patres Dominicanos*, & *Ieſuitas* de *auxilijs gratiæ* religioſè, ac ſapienter cōpoſuit ac ſedauit, hanc etiam ſcandaloſam controverſiam de poteſtate *Papæ* ſupra *Reges* in temporalibus, pacificè & quietè,

[n] *ſuprà nu. 19.*
[o] *ſuprà nu. 28.*
[p] Arreſta *ponuntur in fine* Strenæ Catholicæ.

(alioquin

(alioquin ſanè minis, terroribus, ac violentijs nunquã terminandã) componere, ac ſedare, noſtræq; tandem famæ à *Card. Bellarmino*, eiuſque ſequacibus, graviſſimè, & per ſummam iniuriam, *ea de cauſa*, læſæ, provt ſuæ prudentiæ, charitati, & iuſtitiæ magis expedire videbitur, conſulere quamprimùm velit.

33. Atque inſuper proteſtamur hanc *Appellationem* proſequi per viam nullitatis, abvſus, iniquitatis, vel iniuſtitiæ, & aliâs, provt melius poterimus, optione nobis reſervata, eo modo, quo perſonæ in cuſtodia detentæ, & ad victum & veſtitum vix ſibi neceſſaria, & multo minùs *Procuratorem* ad *Curiam Romanam* mittendi facultatem habentes (nemo autem ad impoſſibile tenetur) nempe per ſcripta publica, typiſque excudenda, quæ *Suæ Sanctitati*, totique Orbi rationes & merita noſtræ cauſæ æquè manifeſta facient, ac ſi perſonaliter, vel per *Procuratorẽ* (ſi talis inveniri poſſet, qui in *Curia Romana* noſtræ cauſæ patrocinium ſuſcîpere, & *Card. Bellarmino*, eiuſque ſequacibus in faciem reſiſtere non pertimeſceret) hanc *Appellationem* proſequeremur: Adijcientes etiam in teſtimonium invocatum, addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, & in melius reformandi, omnique alio iuris beneficio, nobis, & *Rogero Widdringtono*, eiuſque doctrinæ adhærentibus, & adhærere volentibus ſemper ſalvo. Datũ, & actum *Londini* in *Carcere Clinkenſi* die 7. *Decembris* 1620.

Signatum

*Thomas Preſtonus* } qui ſupra.
*Thomas Greenæus* }

Et

Et quonjam *Sanctiſſimum Dominũ* noſtrum *Papam*, ad quem immediatè appellamus, adire non poterimus, cùm in cuſtodia detenti ſimus, neque perſona aliqua authentica, & in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta nobis præſtò adeſt, cui hanc noſtram *Appellationẽ* intimare, inſinuare, ac notificare valemus, & ab ea cum inſtantia & reverentia debita Apoſtolos petere ac requirere, eam coram *idoneis Teſtibus*, probis & honeſtis Catholicis, nobiſcum in cuſtodia detentis, & ad teſtificandum, nos hanc noſtram *Appellationem* illis notificaſſe rogatis, quorum nomina ſubſcripta ſunt, publicandam curavimus, die nono *Decembris* 1620.

Eodem die nono *Decembris* publicatam eſſe hanc noſtram *Appellationem* eo modo quo diximus, *Teſtes* ſunt

*Robertus Charnock* Sacræ Theologię Baccalaure'.
*Rodulphus Stanſford.*
*Richardus White.*
*Chriſtopherus Thulis.*
*Ioannes Barker.*
*Ioannes White.*

*Thomas Leke.*
*Edmundus Canon.*
*Ioannes Tomſon.*
*Ioannes Brian.*
*Ioannes Farmer.*
*Guilielmus Davis.*

BRITISH MUSEUM

Errata corrigenda.

Pag. 7. lin. 12. lege *ad*. p. 8. l. 30. *indicent*. p. 9. l. 5. *ſignificare*. p. 10. l. 6. *Francia*. l. 12. *dirimeret*. p. 14, in margine l. 21. *patrocinio*. l. 23. *indigueriut*.